SIGISMVNDVS

AVGVSTVS DEI gratia REX Poloniæ Magnus DVX Lithuaniæ Russiæ Prussiæ Masouiæ Samogitiæ
etc. Dominus et hæres. Significamus præsentibus litteris quorum interest vniuersis. Cum questi essent apud nos exteri quidam Mercatores eorumque
Factores, Cracouiæ commorantes, de Famatis Proconsule et Consulibus Ciuitatis nostræ Cracouien. Quod testudines illorum, in quibus merces adseruant, si-
gillo Ciuitatis obsignassent. Quandoquidem tum in Niepolomice animi relaxandi causa concesseramus. Mandauimus Famatis Proconsuli et Consulibus
vt testudines resignarent. Ipsi vero postquam Cracouiam rediissemus, ostenderent quo iure testudines eiusmodi obsignare, neque exteris Negociatoribus Mer-
ces venum exponere permittant. Qui quidem postridie qua rediimus ad nos venerunt, produxeruntque litteras Diui Casimiri Poloniæ Regis Aui nostri deside ra-
tissimi quibus diserte cauetur, ne qui externi Negociatores merces extra nundinas in Ciuitate Cracouien vendere et mercaturam exercere præsumant, sub grauissimis
poenis Regijs. Cuius Priuilegij executionem ipsi Proconsuli cum Consulibus Diuum parentem nostrum permisisse. Vt scilicet occlusione et obsignatione mercium
licentia mercatorum externorum, secundum hoc ipsum Priuilegium restringeretur, ex responso Maiestatis illius Nuncijs Ciuitatis eorum Vilnæ primum deinde
Warschouiæ inscriptis date comprobabant. Quibus rebus nos adducti Volentes commodis subditorum nostrorum consulere, Priuilegium prædictum Ciuitat. Crac.
in robore conseruauimus, confirmamusque præsentibus litteris, ac illud in omnibus punctis clausulis et articulis approbamus et confirmamus, eiusque tuendi et de-
fendendi, secundum responsum, a diuo parente nostro Nuntijs Ciuitatis Cracouien. Vilnæ primum, deinde Warschouiæ datum Proconsuli et Consulibus Ciuitat. Crac.
potestatem facimus, vsque ad decisionem controuersiæ. De iure nostro, si quam mouere externi mercatores Proconsuli et Consulibus prædictis de eare voluerint.
IN cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Cracouiæ sabbato die festo Sancti Laurentij Martyris. ANNO Domini
Millesimo Quingentesimo Quadragesi[illegible]. Regni vero nostri Vigesimo. Relatio Reuerendissimi in Christo patris Domini Samuelis Maciejowski Episcopi Cracouien. et Regni
Poloniæ Cancellarij. Samuel Epus Cracouien. et R. P. Cancell. subscripsit

[illegible]



SIGISMUNDUS

AUGUSTUS DEI gratia REX Poloniæ Magnus DUX Lithuaniæ Russiæ Prussiæ Masoviæ Samogitiæ etc. Dominus et hæres. Significamus præsentibus litteris quorum interest universis. Cum questi essent apud nos exteri quidam Mercatores eorumque Factores Cracoviæ commorantes, de Famatis Proconsule et Consulibus Civitatis nostræ Cracovien. Quod testudines illorum, in quibus merces asseruant, sigillo Civitatis obsignassent. Quandoquidem tum in Niepolomice animi relaxandi causa concesseramus. Mandavimus Famatis Proconsuli et Consulibus ut testudines resignarent. Ipsi verò postquam Cracoviam redijssemus, ostenderent, quo iure testudines eiusmodi obsignare, neque exteris Negociatoribus Merces venum exponere permittant. Quiquidem postridie, qua redijmus ad nos venerunt, produxeruntque litteras Divi Casimiri Poloniæ Regis Avi nostri desideratissimi quibus diserte cavetur, ne qui exteri Negociatores, merces extra nundinas in Civitate Cracovien. vendere et mercaturam exercere præsumant, sub gravissimis pœnis Regijs. Cuius Privilegij executionem ipsi Proconsuli cum Consulibus Divum parentem nostrum permisisse. Ut scilicet occlusione et obsignatione mercium, licentia mercatorum externorum, secundum hoc ipsum Privilegium restringeretur, ex responso Maie[tatis] illius Nuncijs Civitatis eorum Vilnæ primum deinde Warschoviæ inscriptis date comprobabant. Quibus rebus nos adducti Volentes commodis subditorum nostrorum consulere, Privilegium prædictum Civitat. Crac. in robore conservavimus, confirmamusque præsentibus litteris, ac illud in omnibus punctis clausulis et articulis approbamus et confirmamus, eiusque tuendi et defendendi, secundum responsum a Divo parente nostro Illustrissimo Civitatis Cracovien. Vilnæ primum, deinde Warschoviæ datum Proconsuli et Consulibus Civitat. Crac. potestatem facimus, usque ad [illegible] contrarium Decreto nostro, si quam movere externi mercatores Proconsuli et Consulibus prædictis de eare voluerint. IN cuius rei fidem et testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Cracoviæ sabbato die festo Sancti Laurentij Martyris. ANNO Domini Millesimo Quingentesimo Quadragesimo [illegible] Regni vero nostri Vigesimo. R[everendissi]mi in Christo patris Domini Samuelis Maciejowski Episcopi Cracovien. et Regni Poloniæ Cancellarij. Samuel Ep[iscop]us Cracovien. et R. P. Cancell. [illegible]

Ex libro originali [illegible] fideliter
descriptum et [illegible]
sub sigillo [illegible] Consul. Cracov.
extraditum.



250
1549

1549
Decretū de excludendis Institutori:
nibus extraneorum mercatorum

